



Catalogus disert.

1. Jo. Aug. Ernesti

1. de fide historica.
2. de difficultatibus Novi T. recte inter-pretandi.
3. de templo Herodis M.
4. de vanitate philosophantium etc.
5. de vestigiis lingua hebraica in lingua graeca.
6. de theologia historica & dogmatica coniungenda necessitate.
7. de libertate iudicandi in causa religionis.
8. de doni linguarum natura ad illustr. 1 Cor. XIII.
9. de avaxepastawbee coelestium et ter-
restrium ad Ep. I. 10.

2. D. J. S. Romler

10. de liberali doctoris S. I. provincia
11. de J. P. Franer
11. de quo Christus imago dei inveniibilis, ad 2 Cor. III. 4. 1 Cor. I. 15. Hebr. I. 3.
12. spiritus apostolorum Jesu & magister agunt mandant ad Joh. XVI. 8-11
13. de quo Christus, quam in sententiam ois, et dici legislator novus potest.

3. J. H. Heibitz

14. de iis qui primitias spiritus acceperunt ad Rom. VIII. 27.
15. explicatio capituli Ab. Paul. ep. ad Rom. ad Rom. var. Baumgarten.
16. de vixit rixit ab hominibus in sua vita non obtinenda.
17. obs. ad illustrationem M. T. ex pro-
fuit

4. J. G. G. G. G.

18. de vero usu atque abusu rationis hu-
manae in rebus divinis.

7. D. Gott. Leib.

19. de doni linguarum indole
20. de filio hominis
21. sententia iudeorum de messia &
de loro epus regno.
8. Franc. Volckmar Reinhard
22. utrum ad aedificum de miraculis requi-
ratur inivisa naturae accurata cognitio
9. G. M. S. M. M. M.
23. de amen liturgico.
24. iudicium de nonnullis dubitationibus
contra rel. Christ.

10. J. Benj. Koppe

25. quid sit & auctoritas quo scripturae et qui
et interpretor 2 Thes. II. 2-10.

11. J. L. C. Loeber

26. vindicta iudicia divina in morte transita
ad Act. I. 1-11.

12. F. Andr. Stroth.

27. de vera herese 1 Joh. II. 3.

13. D. C. G. Pittmann

28. de quo deus in servator in ev. Joannis de
monstratur.

14. D. C. G. Robert.

29. causa belli formaliter adorsus lana-
nari gerit. Tacunt multa

15. C. D. Beck.

30. specimen historiae bibliothecarum alexon.
donarum.

16. C. L. Gerling

31. doctrina de summa atque altera de se
Christi divinitate.

Jouann.
N. 129.
2.

28

32

32

AD
MEMORIAM
DIEI NATALIS
IESV CHRISTI

ANNO MDCCCLXXVIII

RELIGIOSE CELEBRANDAM

VNIVERSITATIS LITERARVM VITEMBERGENSIS

N O M I N E

INVITAT

D. CAROLVS CHRISTIANVS TITTMANNVS

ORDINIS THEOLOGORVM DECANVS.

IESVS DEVS ET SERVATOR IN EVANGELIO IOANNIS
DEMONSTRATVS.



58

DIET NATALES

IESU CHRISTI

ANNO DOMINI MDCCLXXVII

RELIGIOSE CELEBRANDAM

UNIVERSITATIS LIBERTINENSIS

IN O M N I B U S

D. CAROLVS CHRISTIANVS TITMANNVS

ORDINIS THEOLOGORVM DECANVS

REVISITAVIT ET CORRECTIT

DEO GRATIAS



*IESVS DEVS ET SERVATOR
IN EVANGELIO IOANNIS DEMONSTRATVS*



In diebus iis, vniuerso generi humano laetissimis, quibus natiuitatis Iesu memoriam proprie celebrandam assignauit ecclesia christiana, nihil magis conuenit amplecti mente atque intelligentia et ponderare cogitatione, quam et maiestatem Seruatoris ipsius, et beneficiorum, ab ipso partorum, magnitudinem, iisque considerandis implere animum laetitia et admiratione, et excitare ad cultum, tantae rei memoria dignum. Neque enim haerere debemus in rerum externarum et visibillum humilitate; alias enim nec satis digne honorare ipsum, nec satis liquido lactari natalibus ipsius poterimus; sed in illa humilitate humanitatis summa cum laetitia et ueneratione agnoscere inuisibilem diuinitatis et gloriae altitudinem, eumque cogitatione et fide amplecti tanquam Filium Dei, qui, vt posset felicitatem amissam reparare, homo factus sit, sed idem quoque post hoc opus tantum a morte reuocatus in vitam, sublatuque in coelum, totus uenerit in consortium maiestatis et imperii diuini, et conseruanda benignissima sua et efficacissima erga nos omnes, in primisque fideles, peculium suum, uoluntate, nos adiuuet, defendat, tueatur, felicitatemque, suo merito partam, uolentibus accipientibusque omnibus impertiat.

In quo nobis exemplum luculentissimum praebuit Ioannes in Euangelio, praestantissimo et plane diuino opere. Etenim quae tradidit de Iesu, rebusque eius, consiliis, factis, sermonibus, perpeffionibus etiam, ea omnia retulit ad intelligendam inuisibilem

IV
eius maiestatem, bonorumque, generi humano partorum, praestantiam; sed parum aut nihil commemorauit de natalibus, educatione, pueritia, rebusque eius externis ceteris, quamuis propter familiaritatem et amicitiam, qua iunctus Iesu atque Mariae fuit, omnium facillime potuisset. Atque in vniuersum consilium eius in scribendo hoc libro fuisse hoc, vt doceret, Iesum esse verum Deum et promissum, diuque vniuerso populo exoptatissimum generis humani redemptorem, (μεσσιαν, Χριστον,) et ipse diserte indicauit in fine operis, c. XX, ult. et res ipsa ac tota series disputandi luculenter confirmat. Neque enim, vt est in promptu, vniuersae vitae Iesu historiam scribere voluit, sed potius caput doctrinae de Christo, eiusque persona et opere accuratius explicare, et narrandis factis, perpeffionibus ac sermonibus Iesu praecipuis efficere, vt quisque, qui haec legeret, ipse de eo iudicare posset. Atque hoc fecit ob duplicem causam, primo communem, atque ad vniuersum genus humanum pertinentem, deinde vero etiam illis temporibus propriam. Tum enim fuisse, constat, primum Christianos ipsos, qui caput illud doctrinae summum et haud dubie grauissimum etsi non peruerterent prauis opinionibus, tamen non satis accurate tenerent; deinde vero etiam atque in primis Iudaeos, qui Iesum Nazarenum tanquam Messiam repudiarent, eius diuinitatem impugnarent, de eo ieiune et impie sentirent, atque Messiam promissum venisse, pertinaciter negarent, (de quo etiam in 1 Ep. II, 22. IV, 3. queritur Io. nam ibi profecto sermo est non nisi de Iudaeis infidelibus,) eumque adeo adhuc expectandum esse, putarent, et in vniuersum de Messia non recte statuerent, quippe quem liberatorem a iugo potestatis humanae, auctoremque bonorum temporalium, ac regem inuictum, qui vi diuina sustentatus, magno cum splendore, et maiestate vere regia populum gubernaturus, bella contra hostes eius gesturus, orbisque terrarum imperium genti suae vindicaturus esset, existimarent; vt docent scriptorum sacrorum, Iudaicorum, IOSEPHI ET PHILONIS, atque

atque adeo etiam Romanorum, SVETONII et TACITI, loca satis nota. Huius igitur mali depellendi causa totam illam disputationem suscepit Ioannes, scilicet ad Iudaeos edocendos, redarguendos, conuertendos, Christianos vero confirmandos, omnesque omnium temporum homines instituendos. Hos enim refutare et edocere oportebat, non quidem demum hunc vel illum peruerse sentientem et prauas opiniones tradentem, si quidem iam tum eiusmodi inter Christianos fuerint. Nam scimus quidem, interpretum maximam partem olim existimasse et existimare cum maxime nunc, veterisque ecclesiae doctores quosdam, vt IRENAEVM et HIERONYMVM, tradidisse, Ioannem ad refellendas *Corinthi*, vel *Gnosticorum* prauas opiniones scripsisse; quam sententiam in nuperrima quoque editione *Introductionis in libros sacros N. T.* repetiit Ill. MICHAELIS. Sed contra eam opinionem in peculiari libro quondam disputauimus. Nunc super hae re quaedam dicemus hac de causa, vt, si fieri possit, conferamus aliquid partim ad consilium Ioanneum in scribendo Euangelio rectius diiudicandum, partim ad veram personae et operis Iesu Christi indolem accuratius intelligendam et demonstrandam; quod neque ab his diebus, neque a nostri temporis ratione alienum putauimus.

Etenim ita orditur Ioannes: Iam ante mundi initia fuit promissus Seruator, extititque apud Deum; nam et ipse Deus est. 2) Ante mundi initia, inquam, apud Deum extitit. 3) Etenim ipse mundum condidit; nam quicquid est, id ei originem debet. 4) Per eundem salus parta est, atque eius tenendae ratio hominibus patefacta. 5) Nam ipse docuit homines imperitos, qui tamen eum non admittebant. 6) Ioannes quidem, iussu diuino, 7) venerat eo consilio, vt notum faceret illum felicitatis auctorem, omnesque ad fidem in eum adduceret. 8) Neque enim is est salutis instaurator, sed eius tantum minister fuit. 9) Verus autem salutis dux ille est, qui et ad salutem instituit omnes omnino homines. 10) Nam in hoc ipso mundo, quem creauerat, versatus est.



est, nec tamen ab hominibus agnitus. 11) Verſatus eſt inter ſuam ipſius gentem, ſed ab illa ipſa repudiatus. 12) Omnibus vero, qui ſuſciperent eum (tanquam Meſſiam,) fideque amplecterentur, ius dedit filiorum Dei, (paternum Dei ſauorem ac beniuolentiam parauit;) 13) non quidem eorum, qui ab hominibus, ſed a Deo geniti ſunt. 14) Enimuero homo factus eſt promiſſus Seruator, atque inter nos ipſos habitabat, nosque ſpectatores eramus maiestatis eius, utpote maiestatis filii patris vnigeniti, gratioſiſſimique et longe benigniſſimi; 15) (cuius rei Ioannes ipſe teſtis et auctor fuit, cum diceret: hiece eſt, quem poſt me venturum dicebam, qui ante me extitit, meque prior eſt;) 16) ex cuius copiis naſti ſumus gratiam longe maximam. 17) Etenim per Moſen quidem (et Prophetas) nobis religio tradita eſt; ſed gratia maxima per Ieſum demum, Seruatorem, eſt patefacta. 18) Neque enim quisquam vnquam eam Dei cognitionem habuit, quam nobis tradidit Filius Dei vnigenitus, eique proximus.

Atque hoc eſt veluti exordium, in quo tradidit vir diuinus caput et ſummam totius operis, ut eſt caput et ſumma totius doctrinae diuinae; ſcilicet *Meſſias noſter eſt inde ab omni aeternitate; eſt enim Deus et creator huius vniverſi; ſed idem ille nunc homo factus eſt et auctor ſelicitatis aeternae.* Etenim in deſcribenda natura Seruatoris orditur non ab eius natalibus e Maria, ſed eam altius repetit, et ultra huius vniverſi initia adſcendit, ac docet, Ieſum non tum demum originem habuiſſe, cum ex Maria naſceretur, ſed iam, ante aliquid eſſe inciperet, extitiſſe, atque adeo aeternum eſſe; id quod fecit haud dubie propter Iudaeos, qui non modo Ieſum merum hominem eſſe exiſtimabant, ſed etiam in vniverſum illo tempore de diuinitate Meſſiae, quem exſpectabant, non ſatis recte ſenſiſſe videntur. Utitur autem in denominando Seruatore vocabulo *λόγος*, quod ſatis mirabile viſum eſt nonnullis atque inde ab antiquiſſimis temporibus varie explicatum; et ſane, quare uſurpatum et vnde ductum ſit, libenter largimur, non ita euidenter deſiniri poſſe, ut
in

in aliis vocabulis modisque loquendi; nec tamen eius vsum arbitramur, quenquam debere offendere. Etenim sunt etiam aliae appellationes Seruatoris, quae semel tantum aut bis occurrant, idque nemini mirum videtur, aut videri potest; et in principio operis, (nam in reliquo toto libro eo non amplius vsum est, postquam Seruatorem satis luculenter descripsisset,) vti tamen debebat aliquo vocabulo, quo in vniuersum insigniri posset is, de quo dicturus erat. Cuiusmodi nomina multa occurrunt in V. et N. T. quibus in vniuersum insignem fecerunt Seruatorem viri diuini, vt מְשִׁרָה עֶבֶד, מְלֹאךְ הַבְּרִית, מְלֹאךְ יְהוָה, vt interpretatur Paulus *Hebr. III, 1. ὁ ἐπεμψένος, λειτουργός, minister,* et reliqua. Quae quidem, in promptu est, de Filio Dei dici, cuius ministerio Pater vti voluerit, vel vsum sit, ad perficiendum opus, vniuerso generi humano salutare: tamen, si proprie et ex etymologia iudicentur, non minus offensionis habere videri possunt, quam vocabulum λειτουργός, quod aequipollere arbitramur vocabulis commemoratis; de quo alias ex instituto diximus. Cuius explanationis fundamentum nobis videtur esse in locis *2 Sam. VII, 21.* et *1 Chron. XVII, 19.* vbi in eadem re דָּבָר et עֶבֶד vsurpantur tanquam vocabula idem declarantia, et prius quidem ab interpretibus graecis explicatur: δέλος, quod profecto est admodum notabile. Itaque cum his interpretibus דָּבָר in loco priori explicare non dubitauerim: *ministerium:* quod plane denotant etiam vocabula מְלֹאךְ עֶבֶד, מְשִׁרָה עֶבֶד, quando de Seruatore dicuntur. Sed quoniam דָּבָר in V. T. dicitur centies de promissione, vt *λόγος* in Nouo; hanc notionem cum illa *ministri* coniungendam esse putamus in explicando huius vocabuli sensu, vt דָּבָר in illo *Samuelis* loco sit: *minister promissus*, abstracto posito pro concreto; quod et alias in denominando Seruatore est in vsum, vt quando vocatur *σωτήριον, Luc. II, 30.* et *σωτήριον Io. IV, 22.* pro: *σωτήρ.* Idem igitur valere putamus de voce *λόγος* apud Io. eaque respici ad loca V. T. in quibus vocatur vel promittitur tanquam עֶבֶד et דָּבָר, explicandamque esse hoc modo:

modo: *minister ille, in V. T. promissus, siue, quod idem est: Seruator promissus.* Hic igitur fuit ἐν ἀρχῇ, ante rerum omnium initia. Etenim his haud dubie expressum est primum vocabulum Codicis S. מִשְׁרָף, quo etiam *Syrus interpres* in hoc Io. loco vsus est. Id vero denotat rerum omnium initium, quod factum est in creatione. Vnde ἐν ἀρχῇ h. l. explicari potest: *initio rerum omnium, cum nondum esset aliquid.* Iam vero est hic mos Hebraeorum, quem imitati sunt Scriptores N. T. aeternitatem ita deferibendi, vt dicant: *aliquid fuisse initio, seu, ante initia rerum, ante mundum conditum.* Sic Iesus c. XVII. ε. se δέξων habuisse, ait, apud patrem πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, quibus verbis manifeste describitur aeternitas; atque ita eodemque sensu ἀπὸ καταβολῆς κόσμου sapius dicitur. Itaque ἐν ἀρχῇ reddi potest et debet: *ante mundum conditum, siue: ab aeterno, diciturque diserte hoc: λόγος est aeternus.* Nam pergit: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, quod est pro: *παρὰ τῷ Θεῷ* dictum. Neque enim hoc intelligi posse eo sensu, quo nos aliquando futuri esse dicimur apud Deum et Christum, sed indicari naturae, siue essentiae communionem, patet ex verbis sequentibus: καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, quibus ratio redditur praecedentium: *nam et ipse Deus est.* Etenim ἦν in tempore praesenti est intelligendum; quod vsus loquendi in permutandis temporibus, Ioanni familiarissimus, permittit, et res ipsa exigit. Igitur hic habemus argumentum triplex diuinitatis Iesu, ab aeternitate, naturae diuinae communionem et nomine Dei defumtum, quod debilitari aut eludi nullo modo potest grammaticis aut criticis rationibus; nam SAM. CRELLII, aliorumque temeritas, verba: Θεὸς ἦν ὁ λόγος, in: Θεὸς ἦν ὁ λόγος, mutantium, aut alio modo locum hunc peruertentium, grauitur, vt meretur, castigata est a viris doctis.

Illud porro non est leuius et haud scio, an grauissimum, quod versu 3. traditur de creatione; de qua ibi sermonem esse, *versiculus 10.* vbi τὰ πάντα explicantur per κόσμον, loquendique Hebraeorum vsus in verbis *fieri et creari*, quibus promiscue vtuntur, vt

vt *Pf. CXLVIII, 5.* denique loca *Col. I, 15.* et *Hebr. I, 2.* non fi-
nunt dubitari vilo modo. Iam hoc argumentum per se est longe
grauissimum ad intelligendam diuinitatem Iesu Christi; sed tamen
maiores adhuc aliquam vim accipit inde, quoniam in V. T. Deus,
in redarguenda Iudaeorum idololatria, creationem mundi, a se
factam, tanquam documentum euidentissimum commemorat, ex
quo appareat, idola nihili esse, contra se esse vnum et summum
Deum, vnice colendum et adorandum; cuiusmodi loca multa ex-
tant apud Prophetas. Enimuero quod Deus ipse sibi tribuit, tan-
quam notam certissimam, se esse verum et summum Deum, id
h. l. adferbitur Iesu; dicitur enim diserte creator huius vniuersi.

Idem vero porro vocatur auctor felicitatis humanae *v. 4.* vo-
cabulis, ex linguae hebr. consuetudine desumptis, quibus vsus esse
videtur Io. propterea, quoniam ea res ab ipso Seruatore in sermo-
nibus ad Iudaeos vocabulis *ζωής* et *φωτός* erat indicata, vt deinde
videbimus, non vero ad refutandam *Gnosticorum* vel inscitiam, vel
improbritatem, vt vulgo existimatur. Sed hic cautionem addidit
v. 6--9. ne quis existimaret, Ioannem Baptistam esse, cui hanc
tantam maiestatem tribueret; eum enim Iudaeorum nonnullos
Messiam habuisse, probabile fit ex *v. 20.* quare non nisi legatum
Seruatoris fuisse docet. Deinde *v. 10.* et *11.* iterat, verbis pro-
priis, quae tropicis dixerat *v. 5.* Denique *v. 12* et *13.* quaenam
sit illa felicitas, explicat, nimirum non talis, qualem Iudaei ex-
spectabant, externa nimirum; sed interna, spiritualis et inuisibilis,
cuius summa sit in amore Dei Patris peculiari et vere paterno:
ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι quod non de amore simpli-
citer, sed cum effectu est intelligendum, de omni genere beneficio-
rum, quibus propter Christum afficiuntur fideles in hac et altera vita.


Atque post hanc praeclaram et euidentem diuinitatis et ope-
rum *τοῦ λόγου* explicationem et demonstrationem, progreditur Io-
annes ad eius incarnationem. Sed idem ille verus et aeternus Deus
homo factus est, seu, quia in antecedentibus iam initium fecerat ex-
plicandi operis salutaris Seruatoris promissi, reddere quoque pos-

ses haec verba sic: *euimvero homo factus est.* Nam id esse *σάουα*, dubitationem iustam nec habet nec habere potest, agnoscuntque etiam interpretes alieni ab Ecclesiae nostrae de *λόγω* sententia, nec profecto aliud potest his indicari, quam coniunctio *λόγου* cum homine ad unitatem personae; neque tamen coniunctio talis, qualem fingunt nonnulli, quae sit *ἐνεργείας* et actionis modo diuinae in homine Iesu, qualis fuit in Prophetis atque Apostolis; etenim his nascendis vel ad propheticum munus per inspirationem diuinam adiuuendis, quis Deum hominem factum dicat? sed quae Filii Dei et hominis vnam personam faciat. Cuius rei, tam admirabilis, vt fidem faceret Ioannes, addidit, se et reliquos Apostolos cum *λόγω*, homine facto, *familiariter vixisse*, (ita enim dici verba *συννοῦν*, *συσκοῦν* et *διασκοῦν* in lingua graeca, *de iis, qui eodem contubernio vtuntur, cibumque vna capiunt*, docuit *Dostiff.* RAPHELIUS *Annotatt. Xenoph. ad h. l.*) verum etiam testes fuisse maiestatis eius; (nam *δέξα*, vt *דָּבַר* Hebraeorum, maiestatem exprimit;) et quidem maiestatis verissimi Filii Dei. Nam qui in vocula *ὡς* arguantur, ad euitandum argumentum diuinitatis Christi, quod est in h. l. tanquam similitudinem tantum indicet, magnam linguae inscitiam produunt, quoniam non modo *ὡ* apud Hebraeos, sed etiam *ὡς* apud Graecos Scriptores elegantissimos ita adhibetur, vt indicet non similitudinem, sed *rei veritatem*. Atque hanc maiestatem explicat Ioannes de gratia summa ac paene incredibili, *πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, χάρις ἐστὶ χάριτος* atque in vniuersum per eum, ait, gratiam diuinam tantopere illustratam et intellectam esse, vt ante patefacta et cognita fuerit nunquam.

Iam vero incipit, quae hucusque dixerat, ex insituto explicare, luculentiusque rebus et factis demonstrare. Ac primo prouocat ad *Ioannis Baptistae* de Iesu sententiam, qui apud Iudaeos fuit in maxima existimatione, cuiusque testimonium insignem poterat habere vim apud eorum animos. Etenim non modo legatis Synedrii Iudaici palam significauerat, adesse nunc Seruatorem promissum, *cap. I, 26. seq.* verum etiam disertis verbis professus erat:

erat: *εὐτος ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, v. 34. et v. 29. et 36. ἴδε ὁ αἰνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἰών τὴν ἀμάρταν τοῦ κόσμου, en victimam, ad luendas poenas peccatorum immolendam!* Quibus nihil potest esse euidentiſſus, Ioannem hunc Iesum et Filium Dei esse, et Seruatorem humani generis, luendis poenis eius, existimasse. Idem sentiebant discipuli, *Philippus et Nathanaelis, v. 46. et 50.* Neque enim dici potest, quod faciunt recentiorum nonnulli, in quibus etiam fuit *ΜΟΝΗΜΙΥΣ ad Origenis Libros c. Celsi p. 112.* per υἱὸν τοῦ Θεοῦ et *Χριστὸν* seu *βασιλέα τοῦ ἰσραήλ*, idem declarari, easque appellationes apud Iudaeos tum synonymicas fuisse. Nam profecto non potest alio sensu υἱὸς Θεοῦ intelligi, quam ante dixerat *Io. v. 18. ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς.* Sed *βασιλεὺς τοῦ ἰσραήλ* est interpretamentum τοῦ *Χριστοῦ* et hebraici *מְשִׁיחַ*, i. e. *Seruatoris*; nam his et eius generis vocabulis vniuersum opus Iesu salutare exprimitur. Deinde vero commemorauit facta Iesu miraculosa, ex quibus tamen, non sine causa addidit, tum intellectam fuisse maiestatem Iesu, vt appareret, ea a se eodem consilio afferri. *c. II, 11.* Verum omnium maxime id spectasse videtur Ioannes, vt Iesum ipsum docentem proponeret, propterea, vt ex ore eius quisque discere posset atque euidenter intelligere, quid, dum in his terris viueret, partim de persona sua, partim de opere salutari, ipse diuinitus intellexerit ac docuerit. Vtriusque rei sunt euidentiſſima argumenta in iis, quae nunc sequuntur; quorum specimina quaedam dabimus.

Ac primo quidem, quod ad *personam Seruatoris* attinet, nescio profecto, an diuinitatis eius possit esse argumentum euidentiſſum, quam illud, quod desumptum est a cultu religioso, quem sibi vindicat *cap. V, 23.* *Etenim omnes adorare et colere debent Filium eodem modo, quo Patrem, et qui Filium non colit, nec Patrem colit.* Ita profecto loqui sine *βλασφημία* et iniuria maxima in Deum Patrem nullo modo potuisset, (quod de eo cogitare summae impietatis fuerit,) si inferior illo, aut nudus homo esset. Nam parem et aequalem sibi cum Patre maiestatem ac dignitatem tribuit, dum exigit eundem religionis cultum ab vniuerso genere humano. Sed eum



religiosum deberi non nisi vero et summo Deo, diuinitatisque summae notam esse, et res ipsa docet, et Deus saepius dixit in T. V. aduersus Iudaeos idololatrias, vt *Iof. XLII, 8. XLVIII, 11.* ac Christus ipse praeceptum de Deo vno, eoque solo colendo et adorando inculcauit. Et hic sibi ipse tribuit cultum adorationis! Quid igitur? Profecto nisi Iesum Deum esse concedamus, nullus omnino Deus statuendus fuerit! Sed hunc locum ex instituto tractauit nuper THALEMANNVS, (heu vtiam adhuc viueret!) in peculiari libello. Verum sunt in eodem loco etiam alia diuinæ maiestatis Iesu argumenta, non minus certa ac perspicua. Veluti quando ipse se Filium Dei appellauit *v. 25.* et quo sensu hoc intellexerit, ipse docuit *cap. III, 16.* vbi se vocauit *υἱὸν μονογενῆ* sed *υἱὸς μονογενῆς* plane opponitur *τῷ Θεῷ*, adoptiuo. Deinde sibi vindicat opus iudicii vltimi ferendi et homines a mortuis reuocandi; idque sibi affirmat conuenire cum propter naturam suam; nam *Filius*, inquit, *habet ζωὴν ἐν ἑαυτῷ*, i. e. *vim facultatemque tribuendæ vitæ per naturam suam*; tum sibi speciatim traditum et permixtum esse a Patre, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν*, quoniam *esset humani generis Seruator*. Enimuero verumque opus est plane diuinum et creationi par, nec tribui potest, nisi creatori et domino hominum, vindicaturque Deo alias tanquam argumentum veri et summi Dei. Porro notabile est illud, quando Seruator in hac et reliquis disputationibus cum Iudæis Deum semper vocauit Patrem suum, vt *V, 17. VIII, 49. X, 29. seqq.* Nam ita dixisse sensu plane peculiari et proprio, non quo nos Deum patrem vocamus, sed quo sit *υἱὸς ἰδίου* et *μονογενῆς*, eiusdemque eam patre essentiae, luculenter patet ex verbis Iudæorum, optimorum sane in hac re interpretum, qui *c. V, 18.* ei dicuntur inuidias struxisse, quoniam non modo sabbati religionem soluisset, verum etiam Deum patrem suum dixisset, *ἀτιμωσάντων τὸν ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ*. Inde enim planissimum est, illos appellationem *πατὴρ ἰδίου* non alio sensu accepisse, quam vt eum dicere intellexerint, se esse eiusdem cum Deo, quem patrem suum dixisset, naturæ, eiusdemque maiestatis ac dignitatis. Quare blasphemum dicere

dicere audebant Seruatorem Sanctissimum, lapidibusque obruere. Denique quando in eadem disputatione c. VIII, 58. ego, inquit, *fui* (εἰμι pro: ἦν, quod contra WETSTENIVM est notandum,) *antequam viveret*, seu: *nasceretur Abrahamus*; aut quando c. XVII, 5. Patrem alloquitur his verbis: *redde nunc mihi in coelis* (παρα σεωντων) *eam maiestatem, quam ibi apud te habui iam ante mundum conditum*; nunti tu, quaeso, haec nudi hominis esse, aut Prophetam aliquem et Apostolum eodem modo loqui potuisse existimaueris? Quae cum adeo sint euidentia, vt paene in oculos incurrant; mirandum sane est, fuisse, et nunc quoque esse, qui eam rem non agnoscant, aut de ea dubitent.

Sed ad *opus Christi* veniamus, quod cuiusmodi sit, euidenter intelligi potest ex Euangelio Ioannis. Ac primo habemus in eo diserta testimonia Iesu ipsius, se Messiam profitentis; cuiusmodi est illud in sermone pulcherrimo cum muliere Samaritana c. IV, 26. *εγω ειμι (μεσσίας, χριστός) ο λαων σοι*. Luculentius profecto dicere non potuisset, se esse Messiam! Neque aliud volebat, quando in disputationibus cum Iudaeis prouocabat ad Scripturas, exponentes de persona sua et opere, c. V, 39. et fere perpetuo se dicebat missum esse a Patre, vt c. VII, 29. et sexcentis aliis locis; ac denique diserte se vocabat *salutis omnium auctorem*, cui qui fidem denegauerit, non posset non perire; c. V, 24. VI, 47. VIII, 24. et 51. Quo pertinent in primis etiam loca ea, in quibus vocatur *ζωη* et *Φως*, vt VIII, 12. XII, 46. 35. XIV, 6. Et illud quidem ex hebraismo felicitatis omne genus, eiusque auctorem denotare, non habet dubitationem; sed alterum quoque, etsi concesserim, docendi prouinciam indicare; nec tamen de ea sola, verum etiam de ipsa felicitate explicandum, et virumque coniungendum, atque adeo per το Φως του κοσμου, *salutis humanae et magistrum et auctorem* intelligendum esse, existimauerim; nam haud dubie in his locis respicitur ad V. T. vbi promissus erat tanquam *ישועה*. Ies. XLIX, 6. ac *Scriptores Graeci* et ipsi *Φως των ανθρωπων* dicunt de eo, qui *ingens emolumentum, magnam salutem hominibus attulit*: vt exemplis docuit.

cuit LAMB. BOSTIVS; *Exercitatt. Phil. ad h. l. et Latini quoque, v. c. CICERO, lumina reipublicae non modo dixit, qui inter ceteros eminent doctrina et sapientia, sed qui consiliis et factis sapientibus, reique publicae salutaribus, nomen suum illustrarunt.*

Deinde vero etiam ratio et indoles salutis, quam hominibus attulit in primis diligenter explicatur; quod haud dubie factum est propterea, ut vanitas opinionum Iudaicarum in hac re intelligeretur; in quo et ipso est argumentum, Ioannem scripsisse ad redarguendos Iudaeos. In quo usus est verbis, maximam partem tropicis, sed iis, qui ea audirent, perspicuis, et ad eam rem intelligendam aptissimis. Eius autem salutis duas partes fecit, alteram in immunitate a pernicie et poenis, alteram vero in felicitatis sensu et usu; quae interdum coniunguntur, ut c. III, 16. interdum vero etiam separatim commemorantur, ita tamen, ut utrumque sensu et cogitatione coniungi debeat, et v. c. c. VI, 49. XI, 26. ubi ἀποθνήσκων est perire, non tantum liberatio a pernicie, sed etiam felicitas ipsa intelligenda sit. Et perniciem quidem vocat θάνατον et οὐρανόν, c. VIII, 12. propter vocabula opposita, de quibus ante diximus, refertque discrete cum ad hanc, tum ad alteram vitam, ad animum et corpus; atque illam quidem patet esse in ignorantia, vitiis, immunitate a gratia divina, a tranquillitate et spe vitae aeternae, denique in metu mortis et morte ipsa; hanc vero in poenis aeternis. Ab uniuersa hac pernicie liberari per Christum potest quisque, qui modo voluerit, adeo, ut non versetur in tenebris, incitia, vitiis et miseriis huius et alterius vitae, atque, etiamsi mortuus fuerit, tamen vivat, nec, ne quoad corpus quidem pereat. c. XII, 25. 26. Felicitatem autem ipsam plerumque per imagines adumbravit; ut v. c. aquae, quae sitim penitus resinguat et in aeternum profluat; quo indicauit praesentiam, copiam, denique perennitatem felicitatis, quam impertiat, quippe quae expleat desideria animi humani, cuiusque initia sint in hac vita, sed plenus et perennis usus in vita futura. c. IV, 14. VII, 37. Sic porro in sermone pulcherrimo c. VI. vititur similitudine cibi, in aliis quoque linguis usitata, in quibus quicquid exhilarat, recreat,

recreat, beat, *cibus* seu *pabulum animi* vocatur. Scilicet cibus habet hanc vim, vt recreet, famem tollat, corpus alat, vires novas, nouum sanguinem, succosque afferat et vitam sustentet. Eandem igitur vim habet cibus, tropice dictus, ad animum, scilicet recreandi, confirmandi, eius desideria explendi, exhilarandi, beandi. Ac talis est felicitas, a Iesu parata et promissa; est nimirum in vera et certa cognitione veritatis, in vera fide et vi ad sanctitatem, atque inde orto sensu gratiae et fauoris diuini longe iucundissimo ac totum animum voluptate purissima et cum satietate quadam insatiabili penitus explente, denique in spe aeternae felicitatis certissima et dulcissima. Sed *βρώσις* naturalis est *ἀπολλυμένη*, v. 27. caduca, cuius suauitas et vis in corpore cito perit; nam postquam nutriti sumus cibus eiusmodi, paucis horis post alio cibo opus est. Verum *βρώσις*, quam dat Christus, est *μένουσα*, eius suauitas et vis est perpetua, semper recens, semper crescens, nunquam fastidienda, et satians, penitusque explens immensa humani animi desideria, et aeterna. Denique et corpora nostra, clare docet, in primis c. V, 28. 29. et XI, 25. 26. in vitam reditura, et in communionem felicitatis coelestis ventura esse; idque beneficium non modo potentiae suae efficiendi, sed promerito suo tribuit; etenim se appellat *ἀνάστασις καὶ ζωὴν*, qui morte et resurrectione sua effecerit, vt corpora nostra aliquando ad felicitatem reuocari e mortuis possent; vtque adeo et hoc ipsi, tanquam auctori, acceptum sit referendum.

Sed maximum illud est, et in quo valde videmus etiam nostri temporis homines torqueri, quomodo demum Christus hanc tantam felicitatem attulerit; quod et ipsum non obscure intelligi ex sermonibus eius potest. Indicium eius rei dedit in sermone cum Nicodemio, c. III, 14. sq. et in illo c. X. vbi se vocat *pastorem*, i. e. *regem*, et talem quidem, qui vitam ponat pro suis. Sed locus euidentissimus est c. VI, 51. *Ego, inquam, sum panis ille, qui felicitatem offert, et de coelo venit*, (ego sum auctor felicitatis, de coelo missus,) *de quo si quis ederit, (si quis me tanquam felicitatis auctorem complexus fuerit,) felicitatem aeternam consequetur; atque hic panis est meum ipsum corpus, (σὰρξ pro σώματι,) quod morti tradam, vt generi humano felicitatem impetrem*. Nescio profecto, an euidentius dicere poterit Dominus, quo sensu sit auctor felicitatis humanae! Nempe non tantum propter doctrinam suam, quanquam etiam; sed in primis et proprie propter mortem suam. Nam diserte dicit, *corpus suum, morti tradendum*, vno verbo, *mortem suam* esse id, quo asseratur hominibus salus. Itaque mortuus est, eo consilio, vt felicitatem generi humano impetraret: ἵν' ἐγὼ δώσω ὑπέξ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Sed

Sed eius generis plura sunt in hoc Euangelio, quae non capiunt huius libelli angustiae. Nec in vniuersum ea omnia euidentius et ad animum in fide confirmandum efficacius cognosci possunt, quam legendo toto hoc Euangelio; quo, nobis persuasum est, non esse librum aliquem diuinum ad intelligendam eam rem, de qua hucusque disputauimus, accommodatiorem et efficaciorum. Sed iam ex his, quae modo speciminis causa commemorauimus, manifestum esse arbitramur, qualem se Iesus ipse intellexerit et intelligi uoluerit; scilicet se esse Filium Dei proprie, adorandum, ut Patrem, missum de coelo et hominem factum, ut seruaret et liberaret homines a poenis peccatorum et peccatis ipsis, aeternaeque et summae felicitatis participes redderet per fidem in se, seque hoc opus perfecisse, non tantum docendo, sed patiendo et mortem sustinendo, perfecturumque esse regendo et gubernando, denique in vitam reuocando.

Igitur, ut veniamus ad id, cuius causa haec scriptio instituta est, si ergo Iesus Christus est uerus aeternusque Deus, eodem sensu, quo Pater, creator huius uniuersi, et felicitatis humanae auctor; quantopere dignum nobis uideri debet, COMMILITONES CARISSIMI, adorare Iesum sine omni dubitatione et colere religiose eodem modo, ut Patrem; primum sic, ut eum, tanquam uerissimum Dei Filium cognoscamus, demissum de coelo, ad reparandam salutem humani generis; deinde, ut proprie ad ipsum et nominatim dirigamus preces, et pro nobismet ipsis et pro aliis, eumque fide et toto animo complectamur, ut et beneficii, per eum parati, insignem praestantiam, et auctoris maiestatem diuinam, quippe Filii Dei unigeniti et longe benignissimi, sensu acerrimo percipiamus, eoque sensu ad fidem, uenerationem, pietatem, laetitiam, spem, cum omni tempore, tum his in primis patriae nostrae diebus funestis, incendamur. Etenim *si Deus Filio suo unigenito non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit; nonne cum ipso cetera omnia, quae demum sunt, nobis concesserit? Et si Christus a parte nostra est, cequis poterit contra nos esse!* His talibus piis cogitationibus et sensibus excitandis, fouendis, alendis, materiam his diebus festis doctores ecclesiae orationibus suis suppeditabunt. Ad eas igitur audiendas, et cantibus sacris laudes Optimi Seruatoris celebrandas congregemur in templis nostris, atque etiam ad solennitatem, Academiae propriam, frequentes conueniamus, omninoque fessos hos dies ita peragere curemus, ut eorum fructus largos capiat animus et tota uita nostra. Ita igitur facite, COMMILITONES, et ualete! P. P. in Vniuersitate Literarum Vitembergensis ad XXV. Dec. A. C. MDCCCLXXVIII.

Na 32.
g

vd 18

ULB Halle
005 367 468

3





28

AD
MEMORIAM
DIEI NATAL
IESV CHRISTI

ANNO MDCCCLXXVIII

RELIGIOSE CELEBRANDAM

UNIVERSITATIS LITERARVM VITEMBERG

N O M I N E

INVITAT

D. CAROLVS CHRISTIANVS TITTM

ORDINIS THEOLOGORVM DECANVS.

IESVS DEVS ET SERVATOR IN EVANGELIO IO
DEMONSTRATVS.

